

De morbo coeruleo : dissertatio inauguralis medica quam consensu et auctoritate gratiosi medicorum ordinis in Universitate Literarum Berolinensi ut summi in medicina et chirurgia honores rite sibi concedantur die XXVII. m. Novembris a. MDCCCXXII h.l.q.s. publice defensurus est / auctor Joannes Godofr. Zimmermann ; opponentibus F. Ernert, H. Langheinrich, A. Roedenbeck.

Contributors

Zimmermann, Johann Gottfried, 1798-
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Berlin] : Formis Brueschckianis, [1822]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/bczx6qf5>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE
MORBO COERULEO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN
UNIVERSITATE LITERARUM BEROLINENSI
UT
SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORES RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXVII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXXII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

JOANNES GODOFR. ZIMMERMANN

SAKO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:


F. ERNERT, MED. DD.

H. LANGHEINRICH, MED. DD.

A. ROEDENBECK, MED. DR.

FORMIS BRUESCHCKIANIS.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO



PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

PHYSICS

P r o o e m i u m.

In animantibus saepe reperiuntur deformitates, quarum origo duplex esse potest. Sunt enim vel primitivae conformationis aberrationes, vel vitia acquisita; illae oriuntur, si plastica vis de normali directione declinat, aut si actio eius vel augetur, vel minuitur, vel impeditur, haec partim per morbos antecessos, partim per causas mechanicas in ullam corporis partem agentes post partum acquiruntur. Quae deformitates sive congenitae sive acquisitae quum a statu naturali multum aberrant, aut organa ad vitam necessaria corripunt, fieri non potest, quin vitae processum plus minusve immutent adeoque vitae periculum faciant. Atque cor cum reliquis organis nobilitate praecedat, vitiosas eius formationes vitae longe

periculosissimas esse oportet. Itaque si hoc organon imperfecte conformatum, aut morbis destructum est, vel si viae sanguinis foetales non clauduntur post partum, circulatio libera hebescit, sanguinisque oxygenatio in pulmonibus non ita procedit, quemadmodum ad vitam sustentandam opus est, neque principio carbonico satis liberatur; quare spiritus aegre hauritur, partium corporis externarum temperies minuitur et cutis color in coeruleum mutatur, praecipue in facie, in extremis digitis eorumque unguibus.

Horum symptomatum complexus sub nomine morbi coerulei (Coeruloseos, *Κυανώσεως*, Blausueht) auditur, quem pro viribus illustrare iam conabor. Kreysig, qui de cordis morbis copiosissime scripsit, hunc pro speciali morbo habendum esse negat, quia eius symptomata etiam in aliis morbis, non immediate cum cordis functione cohaerentibus reperiuntur, gradu tamen et originis ratione ab iis differunt, quorum causa in structura cordis incongrua latet.

Caput I.

Symptomatologia.

Diversitas morbi coerulei proventus, decursus et exitus lethalis a magnitudine deformitalis cordis dependet. Si structura cordis functionibus suis peragendis valde repugnat, exitiales effectus paullo post partum in conspectum veniunt, iamque intra decem dies aut primis vitae septimanis mors sequitur, quod exemplis probarunt Wilson 1), Standert 2), Hunter 3), Kreysig 4) et Baillie 5). Plerumque tamen me-

1) Philos. transact. for the year. 1796. p. 2. p. 346. in Reils Archiv für Phys. Bd. 4. S. 448.

2) Phil. trans. 1805 in Harles und Ritters neuem Journal f. ausl. Litt. Bd. 7. Hft. 1.

3) Med. obs. and inquir. t. IV. Samml. auserl. Abh. f. pr. Aerzte Bd. 17. S. 475.

4) Die Krankheiten des Herzens Th. 2. S. 792

5) Samml. auserl. Abhandl. f. pr. Aerzte Bd. 20. p. 332

dici initium morbi coerulei eiusque decursum non ipsi observarunt, sed a parentibus et obstetricibus relata referunt, Kreysigio autem contigit, ut ipse infantem hoc malo affectum inde a partu ad mortem usque observaret, quem ita describit: Infans simulac natus erat, pluries exclamavit, postea autem rariores edidit voces et nisi paroxysmorum tempore difficultas spiritum ducendi non animadvertebatur, sed respiratio erat lenis, ac si parva tantum aëris copia hauriretur. Color cutis subcoeruleus per tres dies primos non constanter aderat. Infans ubera data ducere nolebat et verrucam arreptam statim dimittebat, praeterea quietus et immobilis iacebat, cutis temperies erat immutata. Inde a quarto vitae die paroxysmis respirationis difficilis, brevis ac celeris, per quatuor vel sex minutas durantibus, binis vel ternis horis corripiebatur, qui noctu diei quinti nondum intermittebant, sed interdum paululum modo remittebant. Accedebat color cutis coeruleus, suffocationis periculum et convulsiones. In his paroxysmis raro tantum oculos aperiebat, color cutis coeruleus celerrime apparebat, eademque celeritate a superficie corporis recedebat, iacebat tanquam apoplecticus et suffocatione ac convulsionibus vicissim cruciabatur, quibus duodeviginti horis praeterlapsis succubuit. Motus cordis fuit irregularis et in paroxysmis et in remissionibus, pulsus arteriarum in paroxysmis non distinguendus, in remissionibus celer, nec vero turbatus. Magna meconii copia exonerabatur, urinae excretio non abnormis deprehendebatur.

Haase 6), infantem hoc morbo affectum inde a partu semper coeruleas habuisse manus, pedes, digitos et labia, difficulter primum saepiusque longis interceptam intervallis animam traxisse, genarum et extremitatum utrarumque temperiem imminutam fuisse exhibet. Quandoque eiulabat infans aut ubera ducebat, colorem coeruleum adauctum esse, reliquo tempore immobilem iacuisse, reliquis functionibus sat bene vigentibus, dicit.

Si huius mali symptomata non statim a partu inde, sed non multo post eum aut seriori tempore conspiciuntur, hoc modo se prodere solent: primum animadvertimus livorem intercurrentem in tunica sclerotica oculi, in digitis eorumque unguibus, in facie et imprimis in labiis; paullo post plerumque a causa, qua cordis actio adaucta erat, angor et imbecillitas pectoris existunt, quibus color coeruleus augetur, in superficie magis dispergitur et paroxysmi oriuntur. In his conspicua est respiratio difficilis, concitata, anhelans, et palpitatio cordis vehemens, ita ut eminus conspici possit, inaequalis, intermittens, cui arteriarum pulsus convenit.

Praeterea angore cruciantur ingenti et convulsionibus, atque paroxysmus animi deliquio finitur, unde raro sed multum inspirantes expergefiunt. Si rebus exiguis cordis actio incitatur, paroxysmi periodis incertis redire solent.

6) Diss. de morbo coeruleo c. Tab. aen Lipt. 1813.

In intermissione haec animadvertimus: infantes adoleſcunt et ſolito tempore pedibus uti diſcunt, ſed coeruleus color in primis labiorum, linguae, palati, digitorum manus pedisque, praeputii et glandis remanet, ac raro tantum lucidior eſt, facies, truncus et extremitates ſemper frigent, frigusque continuo ipſi percipiunt infantes. Cievnt motus musculares admodum debiles ac citiſſime defatigantur, motiones fortiores et celeres, anhelitum et angorem ſtatim provocant; alvi excretio torpida, appetitus vero bonus eſſe ſolet. Animum habent modo moroſum et quaſi indignabundum, modo hilarem. Serpit iam malum lento pede ulterius, adeoque nonnunquam ſubſiſtere videtur; ſed inter primam dentitionis periodum ſtatus miſerorum in peius mutari ſolet, aut moleſtiae nunc demum proveniunt. Morbos infantiles, ut variolas, ſcarlatinam, morbillos ſaepe facile ſuperant. Hieme et poſt coenam cuncta ſymptomata inſigniter exaſperantur. Facies ſenſim intumeſcit, oculi propellantur, reſpirationis anxietas perſtat, paroxyſmi tuſſis ſpecifici adparent et catarrhus, qui fortuito accedit, morbum multo deteriorem reddit. Interdum iam leviſſimi motus paroxyſmos vehementes, adeoque lipothymiam, amauroſim temporaneam aut ſalivationem commovent; eadem adeo ſequi viderunt obſervatores manuum ſuctum, deglutiſionem et loquelam. Pedes intumeſcunt, oculi languescunt. Aegroti de anxietate continua, ſenſu frigoris, qui modo calore lecti aut ſolis radiis lenitur, de languore, cephalalgia, doloribus pectoris preſſoriis et viſus obcaecationibus conqueruntur, ac mortem propinquam praesagiunt, quare omnis

voluptatis et negotii tædium eos capit. Motus cordis semper inaequalis, enormis, saepe vehemens est, pulsus arteriarum in intermissionibus et corpore quieto fere naturalis, sed celeritatis et fortitudinis ratione habita, valde mutabilis, plerumque frequens et debilis, in paroxysmis tremens et intermittens. Denique paroxysmi satis periodice et pluries quotidie redeunt, quos si appropinquare sentiunt aegroti, pectus corpori firmo imprimunt, aut manibus comprimunt, aut in ventre iaciunt, facie ad solum converso: in paroxysmo aegre, celeriter et anhelantes respirant, donec collabuntur et spirare quasi desinunt; tempore aliquo interiecto, expirationes raras sed fortes et inspirationes lentae sequuntur, quibus se reficiunt intra horae quadrantem vel dimidium. Hanc autem spirandi rationem vehementissima cordis palpitatio et pulsus arteriarum perturbatio comitantur.

Immutatur et corporis modice crescentis habitus. Capitis volumen nimis augeri videtur, pectus complanatur, humeri attrahuntur. Staturae procerae ac tenuis esse solent. Extremitates marcescunt, ac singularem prorsus ima digitorum manus pedisque phalanx induit formam. Superat enim insigniter et longitudine et latitudine reliquas omnes, unguesque, nigro colore paene suffusi, uncinati apparent. Facies venis pellucetibus turgēt et similis est ei, quam qui gelu percutiuntur, referunt, summamque anxietatem significat.

Omnes ad haemorrhagias narium, oris, palati, gingivae et pulmonum propensi esse videntur. Tenduntur hypochondria, turgent vasa haemorrhoidalia adeoque sanguinem fundunt sub rara alvi excretionē

et tenesmo; sanguisque emissus est tenuis, coloris fusci et atramento similis, acsi fuligine mixtus esset.

Hoc modo vita miseranda per plures adeo annos trahitur. Tandem vero omnes augentur molestiae, debilitas in dies crescit, pedesque tumescunt et febris hectica eos lente consumit aut apoplectica morte per-eunt.

C a p u t II.

D i a g n o s i s

Morbi coerulei ex cordis deformitate pendentis maximam partem e symptomatibus iam expositis redundat. Plura tamen eius signa, imprimis color cutis coeruleus a morbis aliorum organorum dependere possunt. Quodcunque sanguinis reditum in cor impedit, quam ob rem venae nimis replentur, colorem cutis coeruleum efficere potest. Itaque pulmonum imprimis affectiones cum hoc corporis colore coniunctae sunt, qui magnitudini circulationis sanguinis in pulmonibus impediti semper respondet et causis remotis, discedit, ut in asthmate et pneumonia, in abscessibus et tuberculis pulmonum, in empyemate, hydrope pectoris et abdominis, si diaphragma valde sursum premitur. Sed illa huius morbi phaenomena, quae

causam habent in vitiis pulmonum organicis, quae etiam paullo post partum excoli possunt, a nostro morbo facile dignoscentur, habita ratione, quo modo sit exortus et explicatus, quemque habeat decursum. Porro praeprimis et ab initio tussis et respiratio difficilis aderunt. In adultis autem, quae sit morbi sedes, ex antecedentibus phaenomenis pulmonum affectiones concludere possumus. Eiusmodi aegroti, si causa respirationis impeditae amoveri nequit, brevi tempore animam exhalare solent. Neque tamen desunt pulmonum affectiones, quas color coeruleus constanter comitatur et quibuscum vita diutius constare potest. Eiusmodi exempla Lentinus 7) Trotter 8) et Marsey 9) tradiderunt. In iis insignis et firmus pleurae cum pulmonibus et diaphragmate coalitus detegebatur, autamen etiam cordis affectio aderat. Sed in febrilibus quoque morbis, ubi ne vestigium quidem pulmonum vel cordis vitii animadverti potuit, color cutis coeruleus constanter sese ostendit, quare febres coeruleae vocatae sunt 10).

7) Beiträge zur ausüb. Arzneiwissenschaft. Leipzig 1798. II. 75.

8) Samml. auserl. Abb. f. pr. Aerzte. Bd. 17. 103. aus Med. and chemic Essays. p. 123.

9) Memoirs of the med. society of London vol. VI. p. 417. Samml. auserl. Abhand. f. pr. Aerzte Bd. 23. p. 461.

10) Salzburg med. chir. Zeitung. B. 1. p. 97.

Caput III.

Aetiologia.

Causae morbum coeruleum procreantes sunt vitiosae cordis conformationes, quae partim et plerumque congenitae sunt, partim seriori aetate acquisitae.

I. Deformitates cordis congenitae.

I. Formatio cordis foetalis post partum persistit: foramen ovale ¹¹⁾ et Ductus arteriosus Botalli non clauduntur, aut illud vel hic solus apertus remanet, neque utrumque cor per se constat, uti par est. Quare portio sanguinis per venas cavas redeuntis statim in atrium sinistrum, indeque per ventriculum in Aortam propellitur, antequam iter per pulmones fecerit, ibique purgata sit; igitur tempore quodam multo minor sanguinis copia oxygenii vim in pulmonibus perpetitur, quam in statu normali, ubi nihil sanguinis e corde dextro in sinistrum penetrare potest. Si solum foramen ovale persistit, vitae minus nocere solet, quam si Ductus arteriosus Botalli simul apertus est, nisi forte arteria pulmonalis quoque coarctata, aut valvulae eius semilunares deformes sunt.

¹¹⁾ I. Plancus (De sang. per cor motu) defectum valvulae foraminis ovalis vidit et Meckel (Handb. d. path. Anatomie. Bd. I. p. 449) se eam in canalem plus minusve longam mutatam perspexisse dicit.

Nam superior valvulae foraminis ovalis pars non coalita et in atrium sinistrum prominens, dum atria contrahuntur, sanguine in sinistro atrio contento ad septum apprimi atque sic iam natura ipsa hoc vitium compensare videtur. Immo ubi apertura foraminis ovalis permagna est (ad pollicem integrum usque 12) neque, uti assolet, claudi potest, sanguis atrii sinistri interdum illius, qui in dextro continetur, introitum impedire posse videtur, atque eiusmodi homines valetudine bona fruente senuerunt 13). Plures medici, foramen ovale iam clausum, iterum aperiri posse putant. Tacconi 14) casum puellae graviolem causam fuisse opinatur, quod foramen ovale iterum apertum, magnaeque inde molestiae exortae sint. Abernethy 15) in diuturnis pulmonum morbis foramen ovale semper fere recludi solere contendit; uno enim anno in quindecim eiusmodi aegrotis tantum illud invenit, ut digitum commode perducere posset. Coniunctionem valvulae cum septo sublatam fuisse credit eo, quod atrium dextrum sanguine nimis repletum contra sinistrum atrium vacuum premat. Meckel 16) ab hac opinione non plane alienus est, quia in multis plithisi mortuis fossam ovalem solidam quidem, sed admodum exten-

12) Corvisart *Traité des maladies org. du coeur.* à Paris 1806 p. 274.¹

13) Meckels *Handb. d. path. Anatomie* Bd. 1. p. 451.

14) *Comment Bonon* Tom. VI. p. 64.

15) *Ueber die foramina Thebesii im Herzen* 1798. p. 1. q. 103.

16) *l. c.* p. 465.

sam, alias minus extensam, sed pluribus foraminulis instructam observavit. Unde, aperturam seriori tempore forte exstituram fuisse, coniicit.

Ductus arteriosus Botalli multo rarius apertus remanet, quam foramen ovale et raro utriusque aperturam simul conspicimus. Haud perperam forte statuimus, si ille non clauditur, etiam foramen ovale persistere.

2. Cor iam in embryone non tam perfecte excolitur, ut vitam extra uterum degere possit. Initio cor est simplex et e sinistro tantum ventriculo constat, cui dexter quasi accrescit. Quae formatio si causis internis impeditur, infans nascitur, cuius cor simplicioris structurae est, quam ea vita, ad quam homo destinatus est, postulat. Distinguuntur autem duo genera harum deformitatum, quae morbi coerulei occasionem praebent, et ubi vita extra uterum diutius breviusve continuari potest.

a. Cor ex una auricula unoque ventriculo constat, ut in Batrachiis. Eiusmodi exempla tradiderunt Wilson 17, Standert 18) et Tiedemann 19).

b. Cor e duabus auriculis et uno ventriculo, sed plerumque in duas partes divisum constat atque Ophiodiorum et Sauriorum cordi simile est. Haec deformatio saepius occurrit et proprie eo nititur, quod

17) Philos. trans. 1798. übers. in Reils Archiv f. Phys. Bd. 5. S. 448.

18) Harles und Ritters neues Journal f. ausl. med. Litt. Bd. 7. Heft 1. aus d. Philos. trans. 1805.

19) Zoologie Bd. 1. S. 177.

septum ventriculorum vel plane non, vel imperfecte excultum est, ita ut semper communio inter ventriculos permaneat. Quo magis minusve hoc septum a statu normali differt, Aorta vel tota vel ad partem e ventriculo dextro oriri videtur. Apertura septi fere semper in inferiori eius parte et variae amplitudinis reperitur; Hunter pollicem, Corvisart digitum auricularem inserere potuit. In hisce individuuis divisio vasorum variat, interdum sic, quemadmodum in reptilibus, ut arteriae pulmonales tanquam rami ex Aorta emittantur, quae duplex e cordis ventriculo exoritur, ita ut ramus alter ascendentem, alter descendentem Aortam efficiat, ex qua arteriae pulmonales proveniunt 20). In hoc igitur infante circulatio sic peragebatur, ut tota sanguinis copia per venas cavas in atrium dextrum rediens, per foramen ovale in sinistrum perveniret atrium, ibi ex pulmonibus advenienti misceretur et in ventriculum sinistrum pelleretur, unde partim in arteriam pulmonalem et Aortam descendentem, partim per aperturam septi in ventriculum dextrum, et ex hoc in Aortam descendentem mitteretur.

II. Vitia cordis organica, affectionibus huius organi post partum exortis, praecipue inflammatione acquiruntur, et persaepe etiam vitiis connatis accedunt atque ab iis originem ducunt, quod multis eiusmodi aegrotorum cadaverum sectionibus confirmatum est. Huc pertinent stricturae ostiorum et vasorum cordis dextri, quibus sanguinis circuitus plus minusve impe-

20) Kreysig die Krankheiten des Herzens. Bd. 5 p. 104.

ditur; indurationes et ossificationes singularum cordis partium, imprimis valvularum, densatio vel extenuatio et mollities parietum, itemque dilatatio cavitationum, steatomata, calculi in arteria pulmonali. Tunc morbus coeruleus post partum, imo in adultis existit, sed celerius vitae periculum conflave solet, quam si in primitivis cordis conformationum aberrationibus nititur, quia cor praeter deformitatem etiam aegrotat eoque facilius intentionibus vehementibus succumbit.

Hic cordis vitiiis, sive congenitis, sive acquisitis minor sanguinis copia per pulmones circulare potest, quam fieri debet; quare carbonico non tam perfecte purgari et oxygenio mutari potest, quam in structura cordis normali, quamque organismus humanus poscit; unde color cutis coeruleus, actio cordis irregularis etc. oriuntur. Parva copia sanguinis, qui pulmones permeare potest, aegre tantum sufficit ad organa corporis sanguine purgato instruenda. Quodcumque circulationem accelerat et cordis actionem nimis intendit, eam abnormem reddere oportet, simul autem haec actio pulmonibus impertitur, qui dispari modo replentur. Cordis autem vim vitalem laesam ad vehementes paroxysmos morbo coeruleo affectorum movendos plurimum conferre inde apparet, quod sine causa occasionali periodice corripiantur. Spiritus celeriter, non profunde ducitur, partim quia vehementia, qua sanguis pulmonibus adfluit, non satis temporis ad inspirationem profundam relinquit, partim quia cor, sanguine nimis exhaustum, mediastinum anticum premit atque sic demissionem diaphragmatis in abdomen prae gravat. In pa-

roxysmis suffocatoris cor aegrum et sanguine nimis repletum ad motus celeres et convulsivos impellitur, qui pulmonibus impertiuntur, quare respiratio admodum irregularis, difficilis et concitata redditur.

Sic igitur respirationis turbationum, quae a cordis affectionibus dependent, causa proxima latere videtur vel in eo, quod functio cordis celeriter et per breve tempus retenta, vel quod morbose adaucta, sed enormis et convulsiva sit; atque mutata respiratio cordis conditioni, unde dependet, semper respondet, quare status convulsivus in relaxationem et vice versa haec in illum mutari potest.

Quum vero cor vitiis connatis instructum continuo ad actionem enormem impellatur, fieri non potest, quin his intentionibus saepe affectio eius dinamica provocetur, si aeger hoc organon nimis intendit, vel si fortuito actio eius augetur. Hoc etiam cadaverum extispicia probant; nam deformitatibus congenitis plerumque unum vel plura organica accesserant vitia. In omnibus fere hoc morbo mortuis parietes cordis dextri solito crassiores comparebant (Kreysig) 21) immo pericardii cum corde coalitus, quale exemplum Spry 22) tradidit, aut cavum erat nimis expansum et parietes eius extenuati et induratio valvularum inveniebantur.

Recentiorum physiologorum disquisitionibus edocti sumus, hanc in animalium natura legem sancitam esse, ut pro vitae stationum diversitate diversa quoque

21) l. c. 2 Thl. S. 357.

22) Samml. f. pr. Aerzte Bd. 13. S. 309.

Oxygenii vi indigeant; atque e nimia eius diminutione in iis aetatis periodis, quibus corpus maiori eius copia ad integritatem suam tuendam opus habeat, varius morbi coerulei proventus atque decursus derivandi videntur. Aliter enim fieri non posset, ut infantes, respiratione a nativitate inde praegravata adeoque impedita, diutius viverent, profectioremque aetatem assequerentur, nisi admodum modica sanguinis isto principio impraegnati portio vitae sustentandae sufficeret. Quare etiam in pluribus infantibus, in quibus eadem primae conformationis vitia deprehendebantur, seriori demum tempore huius mali signa apparuerunt, vitamque antea sanam degebant. Vixerunt enim tamdiu ab aerumnis, hunc morbum comitantibus, liberi atque immunes, quum diu per exiguam, qua eorum organismus egebat, Oxygenii quantitatem licuit, quae cum corpori crescenti nondum sufficeret, necessario in hunc morbum incidisse videntur. Illa autem stadia in universum primae dentitionis periodum tempusque esse, quo pectoris organa prae ceteris excolantur, ex aetate, qua maxima eiusmodi aegrotorum pars periiit, luculenter apparet. Probabilis igitur est opinio, aegrotorum molestias, si modo stadia illa feliciter superaverint, cum seriori tempore non maiori, immo minori Oxygenii copia indigeant, profectiori aetate imminui atque leniri, quod exemplis probare videntur Seiler 23) Burns 24) et Richerand 25).

23) De morbo coeruleo observatio. Viteb. 1805.

24) Von einigen d. häufigsten u. wichtigsten Herzkrankheiten A. d. Engl. Lemgo 1813.

25) Nouveaux élémens de Physiologie t. 1. p. 292. Paris 1807.

Eandem ob causam mares, in quibus istud principium prae feminis dominare constat, multo frequentius hoc malo laborare ac citius perire videmus: ideoque feminas nostro morbo obnoxias, in graviditate praecipites in ruinam agi, Burns testatur.

Inde annuae, diurni nocturnique temporis conversiones magnam vim in huius morbi decursu regendo sibi vindicare eo apparet, quod imprimis hieme et vere eiusmodi aegroti male se habeant, maximaque eorum pars his temporibus pereat. Post coenam magis affligi solent, quia digestionis tempore corpus maiori Oxygenii vi indigere constat. Ex sanguinis arteriosi defectu hebes musculorum motus, frigusque corporis pendere videntur.

Contra autem organa, quorum functiones praeprius depurationem sanguinis ab Hydrogenio et Carbonico spectant, saepius modum excessisse, cadaverum sectiones docent. Ita Seiler 26) hepar magnum, praesertim lobum dextrum admodum crassum, substantiam eius duram, firmam et fusco colore tinctam reperiēbat et in ductu choledocho calculum magnitudine nucis avellanae deprehendebat: lien erat magnus crassus, et colorem perfusum referebat. Similia, observarunt Paloisius, Testa, Tacconi, Obet et Spry.

26) loc. comm. p. 11.

Caput IV.

Prognosis.

Pr. admodum infausta adeoque lethalis est, atque an cuidam horum miserorum mederi possimus, valde dubitandum est. Plurimi enim iam primis vitae periodis pereunt iique, qui seriori aetate in morbum incidant, eo citiorem in ruinam ruunt. Attamen Thomas 27) narrat, puerum quarto aetatis anno a colore cutis coeruleo reliquisque molestiis liberatum esse, quae modo si corpus admodum moverat, aut spirituosam sumserat, redibant et causa remota rursus disparebant. Forsitan igitur a vi naturae medicatrice in primis si causa morbi coeculei non in corde deformato, sed in singulis eius partibus imperfecte expeditis nititur, aliquod salutis sperandum est. Eiusmodi vitiis praesentibus curatio diligens aegros saepe ab exitu tristi longe tutetur.

Quo magis structura cordis functioni suae repugnat, eo maturius morbus erumpit et aegrotum occidit. Summum vitae periculum imminet, si arteria pulmonalis plane clausa est, quale exemplum Hunter 28)

27) Hufelands Journal d. p. Heilkunde 1815. St. 4. S. 52.

28) loco comm.

exhibuit; infans enim die aetatis decimo tertio mortuus est; porro si una tantum auricula et unus ventriculus existunt; vel si Aorta e dextro, arteria pulmonalis e sinistro ventriculo oriuntur, quod testatur Baillie.

Diutius vivere possunt ii, quorum Aorta ex utroque ventriculo oritur, auctoribus Tiedemann, Hunter Sandifort 29; aut quorum arteria pulmonalis coarctata erat (Sandifort), aut si valvulae eius semilunares quasi in papillam concretae erant (Haase) aut in massam cartilagineam vel osseam mutatae, parietesque ventriculi et atrii dextri densiores facti.

Minus periculi vitae imminet, si persistit foramen ovale et apertura ductus arteriosi Botalli. Sola foraminis ovalis apertura vitae minime nocet; et Meckel plane non nocere autumat, cum eiusmodi homines annum octogesimum assecuti sint 30).

Hi aegroti aestate melius se habent, quam hieme atque omnes mortui sunt hieme et ineunte vere mensibus Decembri, Febuario, Martio et Aprili, nullus vero aestate nec autumno; corpus humanum forsitan hoc anni tempore maiori sanguinis arteriosi copia indiget. Sexus masculus frequentius hoc morbo corripitur atque citius perit, quam feminae; his vero semper lethatis est graviditas et reversio menstruorum retentorum, ob uteri actionem adauctam et nimiam totius organismi reactionem.

De aetate aegrotorum morti imprimis obnoxia

29) Obs. anat. pathol.

30) Green Philos. transact. IV. 454.

Nasse 31) has instituit observationes: inter triginta et octo ante quartum aetatis annum decem defuncti sunt, quarto anno superato ad octavum usque nullus obiit, inter annum undecimum et decimum quintum undecim et omnes quidem mares mortui sunt, inde ad duodevicesimum usque tres et tantummodo puellae. Duo viri et mulier una annum vicesimum nonum et trigesimum assecuti sunt. Tres tantum aetatem annorum XXXVI, XLI et XLII nacti sunt.

C a p u t V.

C u r a t i o.

Quum ars in connata cordis vitia nihil valeat, atque igitur morbo coeruleo radicitus [mederi nequeamus, cogitandum saltem est, quomodo vitam horum miserorum levare atque longius producere possimus, praesertim quum experientia edocti simus, vitam in pluribus harum deformationum satis diu servari posse. Ratio autem medendi has sequitur indicationes:

1. Viribus cordis quam maxime parcendum est,
-

31) Anhang zu Burns Herzkrankheiten. p. 383.

quo prohibeatur, quin novum accedat vitium organicum. Quies corporis et animi et victus modicus frequentem melestiarum huius morbi reditum optime impediunt, parvae sanguinis missiones, hirudinum applicatio et eccoprotica lenia interdum adhibita bene conducunt et vehementes paroxysmos leniunt, antiphlogistica medela non solum incommoda miserorum optime coercet, sed eos etiam diutissime servat, secundum omnium medicorum observationes. Contra autem motus corporis vehemens et celer, affectiones animi, cibi concoctu difficiles et flatulenti, atque spirituosa et nimia ventriculi et intestinorum impletio vehementes paroxysmos saepissime advocant ideoque vitanda sunt. Tales homines victum tenuem et concoctu facilem, ac vespere parum sumere oportet. Sic sanguificatio bona et modica perficitur ac venaesectionibus repetendis, quae facile noxam afferunt, supersedere possumus. Porro ut aëris atmosphaerici influxu et motione passiva fruantur imprimisque curru vehantur, opus est. Si vero paroxysmi vehementes et frequentes invadunt, interdum lene purgans antiphlogisticum e salibus, vel ex Hydrargyro muriatico miti, vel e Rheo adhibendum, vel parva sanguinis copia detrahenda est, ut cordi laborem sublevemus et systema venosum nimis oppletum liberemus.

2. Paroxysmos breviores reddere studendum est, quatenus natura morbi hoc permittit, neque vero eos plane prohibere poterimus. Sed hic cavendum est, ne nimia strenuitate noceamus. Paroxysmi non habendi sunt pro convulsionibus, nec impelli debemus ad usum antispasmodicorum, ut Valerianae, Moschi-

opii, quae semper nocent, testibus Corvisarto et Nasse 32) atque hic Valerianam et Moschum paroxysmos aegrotae suae frequentiores et vehementiores reddidisse, ipsa fatetur. Corpus situ quietissimo indiget. Optimum remedium est clyσμα, atque extremitates frigidas panno laneo calefacto cum fructu tegimus aut lenes tantum frictiones adhibemus. Infantibus situm commodum paramus, ut respirationem sublevemus, ac modo situs in latere dextro 33), modo in sinistro 34), modo in abdomine facie ad solum converso 35), levamen affert. Si paroxysmus admodum vehemens est et suffocationis periculum imminet, sanguis mittendus vel hirudo collo applicanda est.

3. Nocivos effectus, quos minuta sanguinis purgatio per respirationem in sanguinis mixtione movet, corrigere et, quod respiratio imbecillis in sanguine efficere deberet, arte compensare quaerimus. Sed ut huic indicationi satisfaciamus, magnae obstant difficultates vix superandae, cum qui sit effectus respirationis in sanguinem, quae sit natura et origo vitiosae sanguinis mixtionis in universum, imprimisque in morbo nostro et quibus sub conditionibus chemici processus in organismo peragantur, minus accurate cognitum habeamus, quam ut in iis rationem medendi fundare possimus. Inde elucet, quid de remediis, quae plures pro-

32) loco comm. p. 425.

33) Farre. S. 29.

34) Hunter l. c.

35) Abernethy l. c.

posuerunt medici, sit sperandum. — Lentinus inspirationem Oxygenii suavit, quod vero et pulmones et cor facile nimis irritat atque sic transitum vitii cordis mechanici in organicum festinat. Praeterea secundum ea, quae novissime instituta sunt, experimenta, in respiratione vel plane nulla, vel certe exigua Oxygenii pars in sanguinem transire videtur; si autem finis huius processus is est, ut sanguis Carbonico purgetur, Oxygenio adinvari nequit, quia ob cordis deformitatem parum sanguinis pulmonibus adfluit et Oxygenium, quod aère atmosphaerico continetur, ad sanguinem depurandum sufficit.

Alii eodem consilio acida vegetabilia aut mineralia adhibuerunt. Sed ponamus, acida per ventriculum corpori ingesta, vim suam in sanguinem exercere, sperandum tamen est, illa hunc magis venosum reddere, id certe cum sanguine misso commixta efficiunt.

Marx 36) ad hunc finem acidum muriaticum oxygenatum exhibuit et hac quidem in formula:

R. Acid. muriat. oxygen. drach. duas.
Aquae destill. unc. quatuor
Syr. Rub. Id. unc. unam.

M, S. Secunda quaque hora sumatur cochlear.

Sed bonum effectum, quem inde sequi perspexit magis balneis calidis, quibus simul utebatur, quibusque hoc acidum addiderat, tribuerim. Postea cum hoc remedium iterum in usum vocatum, expectationem falleret, Manganesii oxydati fusci gr. v. ter quotidie su-

36) Morbi coerulei exemplum memorabile. Diss. inang. Berol. 1820 p. 9.

menda ordinavit, quae initio quidem utilitatem attulerunt, octo autem diebus praeterlapsis nihil valuerunt. Iamque nec acido, nec Manganasio fructum percepit aeger, sed animam efflavit.

Nevinus 37) transfusionem commendavit, qua sanguis oxygenatus ex arteria quadam hominis sani per tubulum in venam aegroti transfunditur, unde sanguis venosus antea! emissus erat. Sed cum cuique corpori sanguis suo modo mistus inesse videatur, quem sibi ipsum parat, cuiusque incitationis gradui assuevit; cumque transfusio, quoties experta sit, malum eventum habuerit, haud dubie omittenda est.

Nasse 38) suavit, ut processum, quem sanguis arteriae pulmonalis in pulmonibus perpetitur, cum aliarum arteriarum sanguine in aliis corporis partibus instituamus. Hoc per columnam Voltaicam fieri posse putat, si corpus totum vel partem eius, vas superficiale vel nudatum sphaerae positivae exponeremus, ita ut punctum utriusque poli neutrum extra corpus vel corporis partem incidat. Sed huic quoque processui Galbanico vis organismi dynamica intercedit; experimenta tamen nondum instituta sunt.

Satius igitur erit ipsius naturae indicia sequi. Ecoprotica antiphlogistica morbo coeruleo affectis bene conducunt; quare Kreysig 39) efficaciam eorum extra tubum alimentarium extendi atque auctam secretionem

37) Medic. comment. by Dyncan, D. II.

38) l. c. p. 431.

39) l. c. 2 Th. S. 839.

carbonici adiuvare, idque organon cum pulmonibus tam arcte coninnetum in morbis cordis, quoad vim vitalem, forte mutari posse, opinatur. Calor his aegrotis omnibus iucundus est, quod eo magis mirandum est, cum omnia alius generis incitamenta non tolerentur et facile statum peiorem reddant. Putandum igitur est, calefactum quotammodo compensare processum, quo calor gignitur, et salubres effectus in sanguinis mixtionem exserere.

Hoc consilio *Farre* frequentem balneorum calidorum usum commendat, quibus non solum aegroti molestias imminuit, sed vitam quoque longius produxit. Per ea maiorem sanguinis copiam vasis capillaribus adduci, cuti calorem tribui, cutemque, cuius functionem parum adhuc cognovimus, vice pulmonum, in quibus sanguificatio imperfecte procedit, quotammodo fungi posse, vestitum autem densum consumptionem caloris nimis parva copia in organismo progeniti, modo coercere opinatur.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS
ADIECTUM.

Ego Ioannes Godofredus Zimmermann natus sum prope Cizam in pago, qui dicitur Nonnewitz d. XXVIII. m. Septembris anno MDCCXCVIII patre Christiano oeconomiae dedito, et matre Maria Rosina, e gente Geisleriana; quos parentes optimos adhuc superstites esse, pio animo mihi gratulor. Primam institutionem et religionis elementa in schola patriae accepi; postea vero curae Hauschildii, sacrorum ministri, quem grato ac sincero animo veneror, traditus eos in litteris profectus feci, ut anno aetatis decimo tertio in numerum discipulorum scholae, quae Cizae floret, recipi possem, ubi optimorum magistrorum b. Mülleri, Kieslingii, b. Gelbrichti, Rebsii et Daehnii institutione usus sum. Quibus viris optime de me meritis summas publice ago gratias. Anno huius seculi undevicesimo ab Ill.

Hauboldo t. t. Rectore Magnifico civibus academiae Lipsiensis adscriptus arti medicae operam dedi atque praeceptores habui in logice et metaphysice Ill. Kru-
gium, in anthropologia Exp. Heinrothium, in anatomia
theoretica et practica b. Rosenmüllerum et Exp. Bok-
kium, in botanice et historia naturali Excell. Schwaeg-
richenium, in rebus physicis Cel. Gilbertum, in che-
mia et pharmacia Exp. Eschenbachium, in physiologia
et anatomia comparata Excell. Weberum, in pa-
thologia et therapia Exp. Pucheltum et Haasium,
cuius etiam praelectiones de materia medica frequen-
tavi. Praeterea Cel. Ioergii de arte obstetricia prae-
lectionibus interfui.

Anno huius seculi vicesimo secundo Berolinum me
contuli, qua in alma universitate ab Ill. Wilken tunc
temporis fasces academicas tenente d. IV. m. Maii in
civium academicorum numerum receptus, praelectio-
nes Ill. Rust et Kluge de akiurgia. Exp. Juengken de
chirurgia generali et speciali, nec non de morbis
oculorum frequentavi, idemque fascias imponendi ar-
tem me docuit. Interfui clinicis institutionibus Viror.
Ill. Berends, Neumann, Graefe et de Siebold.

Tentamine et examine rigoroso coram Gratioso
Medicorum Ordine rite absolutis, spero, fore, ut,
hac dissertatione publice defensa, summi in medicina
et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Bilis non resorbetur in Ictero.

II.

Metastasis lactea non existit.

III.

In morbo coeruleo eccoproticorum vim non in
tubum intestinalem coerceri contendo.

IV.

Circulatio a corde vitæque propria sanguinis de-
pendet.

